Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 471
Quelle:
Copyright:

ſcripta ſunt litteris. Haec ſumta ſunt ex ipſo *Nominum hebr.* Elencho ante *Lit.* S. edit. *cit. col.* 15. Proſequitur Noſter: *Porro V. literę duplices aput hebreos ſunt* &c. Atque haec leguntur in *Prologo Galeato.* Vides igitur e diverſis *Hieronymi* Locis Eum collegiſſe, quae ad rem praeſentem faciunt, quin tamen ea Loca indicaret. Pone per 4. *columnas* adpictae ſunt Literae *Hebraicae* cum ſuis ſignificatibus, Literae *Graecae* cum ſua poteſtate numerica, et *Siglae* antiquorum Ponderum. Et tum demum *Interpretationes Nominum Hebr.* ordine alphabetico tribus columnis ineunt, nulla tamen Librorum diſtinctione, ut ſit in Edit. *cit.* obſervata, ſed Nominibus omnibus in unum conjectis Alphabetum.

II. *fol.* 6. p. 2. absque inſcriptione Introductio quaedam catechetica de *Senſibus* variis S. Scripturae, *Figuris ſententiarum ex rethorica ſumptis, Barbariſmo, Soloeciſmo, Metaplaſmo, Scematibus* et *Tropis.* Initium: *Diuina ſcriptura quot modis diſtinguitur? Quatuor. quoniam quadriformi ratione omnis diuinorum eloquiorum ſeries diſtinguitur. Aut enim hiſtorico intellectu. aut allegorico. ſiue tropologico id eſt morali. ſeu certe anagogico ſolet accipi* &c. De *Figuris* ſubditur: *Quas id circo hic introduxi. quod non numquam inueniuntur in ſacra ſcriptura.* Atque in his *Beda* uſus mihi videtur Noſter. His adtextus eſt Canon ſeu *Deſcriptio Librorum ueteris ac noui teſtamenti,* cui ſubjectum: *Hos omnes libros ſuſcipit ęccleſia catholica legendos et eosdem gloſſis ſequentibus aliquantulum reperies elucidatos.* &c. Itaque

III. *fol.* 10. ſequuntur *Gloſſe in geneſim* hoc initio: *Prologus grece. latine prelocutio, uel prefatio. Proemium grece latine breuiatio* &c. Praeter *Textum* enim et *Prologi Hieronymiani* et *Argumenta* S. Librorum enotantur. Gloſſae porro non tantum Voces ſingularias difficiliores explanant, ſed etiam ſenſus intricatiores. *Hieronymum, Bedam,* et *Gloſſam ord.* potiſſimum excerpit Noſter, *Auguſtinum, Origenem* et *Gregorium* tamen etiam deflorat. Margines Notulis adſperſi ſunt. Libro *Machab. fol.* 94. ſubnexus eſt Laterculus chronologicus *Judicum, Regum Judaeorum, Perſarum, Macedonum, Syriae, Aſiae, Aegypti.* Finis *Apocalypſeos: ut a gratia inchoaret. et in gratia terminum poneret.*

IV. *fol.* 135. p. 2. *De ſacerdotalibus Veſtimentis.* E. L. I. *Rab. Mauri de Inſtitutione Clericorum* Capita XV — XXIII. prout extant in Collect. *Hittorp. Colon.* 1568. p. 318. f. et *Opp. Rabani* T. VI. *Colon.* 1626. p. 7. f. Initium: *De Superhumerali. Primum Sacerdotum indumentum eſt effodbat* &c.

V. *fol.* 137. Tabella exhibens *Nomina Menſium Secundum Hebreos Egiptios Grecos Latinos* quadrilateris hoc ordine:

Tebeth. X. (Menſ.) *Tybi.* V. *Eudinios.* II. *Januarius.* I.

No-